

memini, quanquam ipsum verbum *Reuiso* infrequens non sit, vti apud HORAT. *lib. I. Ep. VII.*

- - - *Te dulcis amice reuifet*

Cum Zephyris si concedes et hirundine prima.

Recte tamen omnino dicitur a ICTIS et quidem ad imitationem *l. 5. §. 4. C. de temp. et repar. Appell. seu Consult.* vbi appellatio- nis remedium appellatorium iuuamen dicitur, nihil itaque pro- hibet et Reuisionem ex rationis paritate Reuiforium Iuuamen vel remedium indigitare, vel Reuisionis adminiculum et auxi- lium nominare *arg. l. 1. et 2. C. quand. prou. non est nec.*

§. V.

Vocabulum *Sententiae* quatenus in iure consideratur, de- notat iudicis Decretum et pronunciatum disceptandae contro- uersiae causa prolatum, et vel late sumitur, vt sub se quoque comprehendat interlocutoriam, vel stricte, pro sententia defi- nitiva tantum vt in *rubr. C. de sent. et interloc. l. 19. §. 1. ff. de recept. arbitr.* Interlocutoria autem nisi vim definitivae habeat, huius loci non est.

§. VI.

Venio nunc ad nomen *Camerae*, quae significat proprie fornicem siue testudinem aedificii, quo sensu Propertius:

*Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
Nec Camera auratas inter eburna trabes.*

Apud Feudistas accipitur per Synecdochen generis, pro loco Principis aerario destinato, et ad illam Feudi speciem trahitur, quam vulgo Feudum de Camera appellant. Iure Pontificio se- cretarium cubiculum notat in *c. qua fronte. 25. ext. de Appell.* Hoc loco sumitur pro iudicio in Camera Imperiali constituto vel pro Collegio et coetu Iudicis et Assessorum Cameralium, vocatur alias *das Keyserl. Cammer-Gerichte*, quod Parlamenta in Gallia, in Italia Rotae, Concilia suprema in Hispania re- praesentant. Constituta est haec Camera ab Imperatore Ma- ximiliano I. et Statibus Imperii circa annum 1495. in Comitibus Wormatiensibus et celebratum primo iudicium Francofurti ad Moenum die 31. Octobr. anni 1495. in eoque mox die 3. con- sequentis